

atque si quispiam artem fabrillem fistulas subire dicat: etenim ars quidem instrumentis, anima vero corpore utatur oportet. (I. De Anima, c. 3.) Nimirum, quemadmodum si ars deberet ingredi et informare sua instrumenta, inepte ars fabrilis informaret fistulas, ut quae non sunt fabrilis sed musica instrumenta: item cum anima rationalis utatur corpore, quod ea animatur, tamquam instrumento ad suas comaturalas operationes exerendas, inepte ingreditur corpus equinum, quo certe minime uti potest ad actiones humanas; et sic de aliis. Praeterea, quemadmodum ars fabrilis et musica secundum se differunt, non vero dumtaxat ratione instrumentorum; immo istorum diversitas consequitur ipsam formalem diversitatem artium quae iis utuntur: sic etiam animae respectu corporum. Et certe si eiusmodi fingendi facultas fieret, liceret omnia ad unam speciem revocare, quod et communi naturae sensui repugnat, et multum derogat de divinae perfectionis infinita varietate a creaturis participabilis.

Solvantur difficultates.

Obiectio I. — Quod est indivisibile, non potest esse in quantitate divisibili. Atqui anima humana est in essentia indivisibilis. Ergo nequit secundum suam essentiam esse in corpore toto, utpote divisibili in quantitate.

Respondeo. *Dist. mai.* Si intra continui genus contineatur, per modum puncti vel instantis, *concl.*; si sit extra totum genus continui sive permanentis, sive successivi, *neg. Contradist. min. neg. conseq.*

Ut ante declaravimus [96, 196], punctum vel instans aliud non sunt nisi termini intrinseci continui permanentis vel successivi seu temporis. Est autem manifeste impossibile, terminum eiusmodi absolvi seu separari a re cuius est terminus. Quare nihil mirum, si neque unum idemque instans possit adesse diversis temporis differentiis vel unum idemque punctum diversis continui partibus. Indivisibilitas

contra animae humanae est longe alterius rationis. Ad rem S. Thomas. * Dicendum, quod indivisibile est duplex. Unum quod est terminus continui, ut punctum in permanentibus et momentum in successivis; et huiusmodi indivisibile in permanentibus, quia habet determinatum situm, non potest esse in pluribus partibus loci, vel in pluribus locis; et similiter indivisibile actionis vel motus, quia habet determinatum ordinem in motu vel actione, non potest esse in pluribus partibus temporis. Aliud autem indivisibile est, quod est extra totum genus continui; et hoc modo substantiae incorporeae, ut Deus, angelus, et anima, dicuntur esse indivisibiles. Tale igitur indivisibile non applicatur continuo tamquam aliquid eius, sed in quantum contingit illud sua virtute: unde secundum quod virtus eius se potest extendere ad unum vel multa, ad parvum vel magnum, secundum hoc est in uno vel pluribus locis, et in loco parvo vel magno. (Summa th. 1. p. q. 8. a. 2. ad 2.)

Instabis. Si ita res haberet, dicendum foret primo, intellectum esse etiam in pede; secundo, quamlibet partem hominis puta brachium, esse hominem et animal; tertio, animam moveri motibus contrariis, pro contrarietate scilicet motuum qui simul contingunt in diversis corporis partibus. Atqui haec refragantur communi naturae sensui.

Respondeo. *Neg. maior. quoad 2. priora membra; quoad 3. vero sic dist.* Quatenus ipsa per se et simpliciter talibus motibus moveretur, *neg.*; per accidens et secundum quid, *concl.*

Patet imprimis falsitas primae conclusionis quae in recitata obiectione ponitur. Nam intellectus est agendi facultas, operatione quidem perfecte immanenti. Omnis vero eiusmodi facultas nequit dici esse nisi in subiecto cuius est actus. Cum itaque sit facultas plane inorganica, falso diceretur esse in corpore vel in aliqua eius parte. Anima contra quoad substantiam vere est forma corporis; quare vere et proprie in eo esse dicitur, ut quaelibet forma dicitur esse in proprio subiecto. Nec refert quod intellectus sit entitative praesens ubicumque est praesens anima. Ut enim ante notavimus [131], cum dicitur aliquid esse

in aliquo, particula *in* non hanc solum praesentiam significat, sed contactum etiam aliquem sive quantitatis sive virtutis. Ad aliud vero illatum, sic respondet S. Thomas. * Animal est quod componitur ex anima et corpore toto, quod est primum et proportionatum eius perfectibile. Sic autem anima non est in parte. Unde non oportet, quod pars animalis sit animal. » (*Summa th.* 1. p. q. 76. a. 8. ad 2.) Haec praeterea obiectio premeret ipsos adversarios: eodem quippe, immo potiori iure, in eorundem opinione affirmare oporteret, compositum ex anima et sola illa parte in qua concluderetur, puta glandulam pinealem, esse hominem; quod certe risu omnes exciperent. Ad tertium denique respondet etiam idem S. Doctor. * Anima non movetur, neque quiescit, moto seu quiescente corpore, nisi per accidens. Non autem inconveniens est, si aliquid movetur et quiescit simul per accidens; sicut non est inconveniens, quod aliquid simul moveatur per accidens contrariis motibus, ut puta, si qui in navi deferretur contra cursum navis. » (*Qq. Disp. De Anima*, q. un. a. 10. ad 12.)

237. **Obiectio II.** — Principium multiplicationis numericae est materia. Atqui principium intellectivum est immateriale. Ergo numerice multiplicari non potest.

Respondeo. *Dist. mai.* Quatenus ipsa numerica unitas spectata formaliter sit materia, vel aliquid eius, *neg.*; quatenus ratio ontologica cui immititur multiplicatio numerica substantiae desumitur ex naturali et transcendentali ordine quem ea substantia habet ad materiam qua constat, vel ad quam informandam dicit ordinem, *conc.* vel *trans.* *Dist. min.* Quatenus materia non constat, ab eaque in esse non pendet, *conc.*; quatenus naturalem et transcendentalem ordinem non habet ad eam informandam, *subdist.*; si sermo sit de principio intellectivo separato, cuiusmodi sunt Angeli, *conc.*; si sermo sit de principio vitae rationalis in homine, *neg.* *Dist. pariter conseq.* Ergo principium intellectivum numerice multiplicari non potest, si sit naturalis forma corporis, *neg.*; si sit purus spiritus, ut Angeli, *trans.*

Tota haec solutio satis intelligitur ex iis quae late disputavimus de unitate numerica eiusque principio, tum

in Logica [361, seqq.], tum in praecedentibus [113, seqq.]; quare nihil addendum. Audiatur tamen Angelicus. * Sciendum est, ait, quod quaecumque oportet esse invicem coaptata, et proportionata, simul recipiunt multitudinem vel unitatem, unumquodque ex sua causa. Si igitur esse unius dependeat ab alio, unitas vel multiplicatio eius etiam ex illo dependet: alioquin ex alia causa extrinseca. Formam igitur et materiam semper oportet esse ad invicem proportionata et quasi naturaliter coaptata; quia proprius actus in propria materia fit. Unde semper oportet, quod materia et forma consequantur se invicem in multitudine et unitate. Si igitur esse formae dependeat a materia, multiplicatio ipsius a materia dependet, et similiter unitas. Si autem non, erit quidem necessarium multiplicari formam secundum multiplicationem materiae, id est simul cum materia, et proportionem ipsius, non ita tamen quod dependeat unitas vel multitudo ipsius formae a materia. Ostensum est autem, quod anima humana est forma secundum suum esse a materia non dependens. Unde sequitur quod multiplicatur quidem animae, secundum quod multiplicantur corpora; non tamen multiplicatio corporum erit causa multiplicationis animarum, et ideo non oportet quod destructis corporibus cesset pluralitas animarum. » (2. *Cont. Gent.* c. 81.)

Instabis. Si multiplicatur intellectus ad multiplicationem corporum, totidem erunt intellecta quot sunt homines, ac praeterea uniuscuiusque intellectus idem res quaedam numerice una et singularis. Atqui idem obiectum intelligitur a diversis hominibus, et quidem intellectioe atque adeo intellectu universali.

Respondeo. *Dist. 1. part. mai.* Si sermo sit de cognitione directa, *neg.*; si sermo sit de cognitione reflexa, *conc.* *Dist. 2. part.* Uniuscuiusque intellectus esset res quaedam singularis, in representando, *neg.*; in essendo, *subdist.*; incorporea tamen et immaterialis, *conc.*; corporea et materialis, *neg.* *Contradist. pariter min.*

Ad rem S. Thomas. * Sive intellectus sit unus sive plures, id quod intelligitur est unum. Id enim quod intelligitur, non est in intellectu secundum se, sed secundum

suam similitudinem. Lapis enim non est in anima, sed species lapidis, ut dicitur lib. 3. De Anima, text. 38.: et tamen lapis est id quod intelligitur, non autem species lapidis, nisi per reflexionem intellectus supra seipsum; alioquin scientiae non essent de rebus, sed de speciebus intelligibilibus. Contingit autem eidem rei diversa secundum diversas formas assimilari. Et quia cognitio fit secundum assimilationem cognoscentis ad rem cognitam, sequitur quod idem a diversis cognoscentibus cognosci contingit; ut patet in visu: nam plures vident eundem colorem secundum diversas similitudines; et similiter plures intellectus intelligunt unam rem intellectam. » (*Summa th. 1. p. q. 76. a. 2. ad 4.*) Ad illud vero, quod subiicitur de intellectione seu intellectu singulari, universalitas quae ei tribuitur, accipi debet ex parte obiecti, prout substat operationi praecisivae eiusdem intellectus illud a conditionibus individuans denudans [*Pr. Ph. 356. seqq.*]. Id autem convenit intellectui eiusque intellectioni eo quod sit immaterialis, non vero quasi ipse intellectus eiusque operatio sit quaedam res universalis in essendo. Ut enim l. c. notavit S. Thomas: " Si etiam esset unus tantum (intellectus), oporteret ipsum esse aliquem quendam; et speciem per quam intelligit, esse aliquam quendam. » (*loc. cit. ad 3.*)

Obiecto III. — Animae humanae sunt unius omnes speciei, tametsi homines indole ac moribus diversissimi existant ob eorundem corporum diversitatem. Ergo nihil vetat, ex diversitate corporum enascatur diversitas etiam qua homines a belluis separantur. Constat praeterea, animam inveniri in corpore caeco, etsi nata est videre, ideoque licet similiter opinari, eam posse etiam ingredi corpus equinum, etsi nata est intelligere.

Respondet. *Conc. antec. neg. consequ. eiusque paritatem.* Ad probationem *nego rursus paritatem.* Quodlibet corpus humanum idoneum est humanis operationibus excreendis, nec diversitas specifica existit inter diversos homines. Salva autem hac specifica unitate, ingens existere potest accidentium varietas. Simile quid videre licet in citharoedis varias citharas sortientibus. Atqui corpus equi-

num est plane ineptum humanis operibus; adeoque tam non potest anima illud ingredi, quam non debet citharoedo aratrum dari. Ad illud vero quod additur in probatione, disparitas etiam liquet. Quod enim corpus humanum caecitate laboret, per accidens contingit, ex defectu scilicet agentis impediti ab operis sui perfectione. At corpus equinum per se est ineptum operationibus humanis, nec equus per se intendit nisi equum gignere. Praeterea, intellectus est facultas inorganica, eiusque species proinde intelligibiles non pendunt in conservari ab organo: contra visio essentialiter pendet ab organo ut a suo proprio subiecto. Optime ergo intelligitur, quare anima non videat in corpore caeco; sed nulla ratione intelligibile est, cur tanta oblivio eam capiat cum in corpus equinum fuerit introducta. Sed satis esto de his nugis.

SECTIO VI.

De immortalitate animae rationalis.

238. Questionis momentum et certitudo. — Cum praecedenti quaestione de unione animae rationalis cum corpore intime connexa est quam nunc tractandam aggredimur. Cum enim manifestum sit, hanc unioem minime esse indissolubilem, continuo uniuscuiusque menti gravissimum illud problema de vita futura oboritur, ex cuius recta vel prava resolutione recta vel prava totius vitae ratio et institutio dependeat necesse est. Etsi vero ex divina revelatione plena et certissima huius problematis resolutio habetur, maximi tamen interest, palmarem hanc veritatem, quae est totius honestae vitae fundamentum, naturali etiam ratione communire et vindicare: nec profecto laudari possunt auctores nonnulli qui cum Scoto, etsi ex divinae fidei regula hanc veritatem in certissimorum numero habeant, naturales tamen pro ea rationes elidere conantur omnes.

Nempe, ut bene observavit Melchior Cano: " Videntur demonstrationes mathematicas quaesivisse. Si enim sapere ad sobrietatem vellent, et rei naturam de qua disserit attentè perpenderent, sane intelligerent, rationes quae animae incorruptionem probant, non suadere sed vincere, si non protervum et repugnans, at certe docilem hominem, et ad disciplinae leges bene informatum. (De Locis theol., lib. 12. c. 15.) (1).

(1) Concilium Eucumenicum Lateranense V. sub Leone X. sequentem fidei definitionem in re praesenti edidit. *Cum itaque diebus nostris (quod dolenter referimus), antiquus humani generis hostis nonnullos perniciosissimos errores, a fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare et augere sit ausus, de NATURA praesertim animae rationalis, quod videlicet MORTALIS SIT, aut unica in cunctis hominibus; et nonnulli temere philosophantes, secundum saltem PHILOSOPHAM esse id esse assererant: contra huiusmodi pestem opportunus remediis adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnatum et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes: cum illa non solum vere, per se, et essentialiter humani corporis praesentia existat, sicut in canone felix recordationis Clementis Papae V. Praedecessoris Nostri in generali Viennensi Concilio edito continetur; VIRGEM ET IMMORTALIS, et, pro corporum quibus infunditur multitudine, singulariter multiplicabilis, et multiplicanda sit. Iam vero ex toto contextu patet, hic non modo damnari eos qui docent, animam in morte interire, sed etiam eos qui dicunt, eam esse mortalem secundum philosophiam, quod amplius declarant verba illa: *Cum illa non solum vere per se et essentialiter humani corporis forma existat... verum et immortalis*. Sicut enim primum asseritur ut quid animae conaturalis, ita etiam alterum, Scriptura insuper divina, etsi expresse et in actu signato, ut sic dicam, non promittit, animam esse suapte naturam immortalem, nihilominus tam generaliter et indifferenter tribuit omni animae humanae post fata corporis non perire, sed a corpore vivere separatam, ut non ex dono gratuito, sed ex intrinseca conditione suae naturae id habere, satis aperte praesertat. Huc spectant verba illa Eccle. ult.: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*: optime enim hic indicatur utriusque partis hominis conditio naturalis, quam unaquaeque habet ex sua origine. Veritas igitur Catholica est, animam rationalem sic esse immortalem, ut id ex naturali sua conditione ei conveniat, non ex gratuito Dei beneficio creationi superaddito; ac oppositum opinari, si minus haereticum, est certe erroneum in fide.*

THESIS VI.

Nullum corruptionis genus in animam rationalem convenire potest. Quin si divinae sapientiae ordo, quantum ex natura elucet, inspicitur, pro certo tenere oportet, non fore aliquando, ut in nihilum redigatur.

239. **Explicatio et probatio I. partis.** — Ut generatio, item corruptio, inter duos terminos, eosque reales intercedit, alterum privativum, alterum vero positivum, eo tamen discrimine, quod qui in generatione est terminus a quo, in corruptione evadit terminus ad quem. Utrique vero termino subternitur commune subiectum reale, quod oportet sit in vera physica potentia ad esse et non esse illius formae, quae generatione inducitur, vel corruptione abscedit. Hoc vero differt inter corruptionem substantialem seu simpliciter, et corruptionem accidentalem sive secundum quid, quod in priori impossibile sit, remaneat subiectum sub privatione, sed necessario postulat alteram formam; secus vero contingit in altera. Quare corruptio simpliciter semper coniuncta est cum aliqua substantiali conversione. Vide quae diximus [152, seqq.]. His positis, haec in rem praesentem ordinate accipito.

I. Duo sunt corruptionis genera, per se videlicet et per accidens. Per se seu ratione sui dicitur corrumpi, quod et ratione sui habet esse, et est in vera et physica potentia ad non esse, prout explicatum est. Eiusmodi autem non est nisi compositum ex materia et forma. Composito enim per se convenit esse, sicut et fieri: ratione autem materiae est in vera physica potentia ad non esse illius formae quam habet. Corrumpi vero dicitur per accidens id quod desinit esse, propterea quia corruptione perit compositum unde in esse pendebat. Eiusmodi sunt omnes

formae non subsistentes. Dicuntur porro corrumpi per accidens, non per se, quia his formis non debetur esse ratione ipsarum, sed unice ratione compositi; eo modo autem aliquid fit et desinit, quo habet esse.

II. Primum genus corruptionis nequit convenire animae rationali. Nam, utpote spiritus, est incomposita in sua substantia seu essentia. Atqui non corrumpitur per se nisi compositum. Ergo primum corruptionis genus in animam rationalem convenire non potest.

III. Alterum corruptionis genus non habet locum nisi in forma non subsistente. Atqui anima rationalis, utpote spiritus est forma subsistens, non dependens a materia in suo esse. Ergo neque alterum corruptionis genus in eam convenire potest.

Huc redit integra huius rei demonstratio allata a Doctore Angelico. "Dupliciter enim, ait, aliquid corrumpitur, uno modo per se, alio modo per accidens. Impossibile est autem aliquid subsistens generari aut corrumpi per accidens, id est aliquid generato vel corrupto. . . . Unde. . . . anima. . . . humana non posset corrumpi nisi per se corrumperetur. Quod quidem est omnino impossibile, non solum de ipsa, sed de quolibet subsistente quod est forma tantum. Manifestum est enim quod id quod secundum se convenit alicui, est inseparabile ab ipso. Esse autem per se convenit formae, quae est actus. Unde materia secundum hoc acquirit esse in actu, quod acquirit formam; secundum hoc autem accidit in ea corruptio, quod separatur forma ab ea. Impossibile est autem quod forma separatur a seipsa; unde impossibile est quod forma subsistens desinat esse." (*Summa th.* 1. p. q. 75. a. 6.)

Dices. Quod est ex nihilo, veribile est in nihilum. Atqui quod veribile est in nihilum, habet potentiam ad non esse. Ergo creaturae omnes, atque adeo anima rationalis, habent potentiam ad non esse.

Respondeo. *Conc. mai., neg. min.* Ut dictum est, vere et proprie, potentia ad non esse nequit tribui nisi materiae, et composito ex materia. Potentia vero ad non esse, quae concipitur in re aliqua, secundum quod, divina con-

servatione cessante, in nihilum redigatur, non est aliquid physicum et reale in ipsa re, sed denominatio mere extrinseca ex potentia Creatoris, quae in manu sua habet ut res sit vel non sit. * Dicendum, ait S. Thomas, quod sicut posse creari dicitur aliquid non per potentiam passivam, sed solum per potentiam activam creatis, qui ex nihilo potest aliquid producere: ita cum dicitur aliquid veribile in nihil, non importatur in creatura potentia ad non esse, sed in Creatore potentia ad hoc quod esse non influat. Dicitur autem aliquid corruptibile per hoc, quod inest ei potentia ad non esse. » (*loc. cit.* ad 2.)

240. *Probatio II. partis.* — Ex dictis patet, unicuique modum quo anima rationalis perire potest, esse per annihilationem. Atqui, attento ordine divinae sapientiae, quantum ex natura elucet, pro certo tenendum est hoc non fore. Probatur triplici via.

Argumentum I. — Ducitur ex consideratione ipsius naturae animae rationalis, spectata scilicet triplici naturali tendentia, eaque fundamentali, quae ei convenit, prout secundum gradum suae naturae ordinatur ad verum, ad bonum, et ad beatitudinem.

I. * Intelligibile, ait Angelicus, est propria perfectio intellectus; unde intellectus in actu et intelligibile in actu sunt unum. Quod igitur convenit intelligibili, in quantum est intelligibile, oportet convenire intellectui in quantum huiusmodi: quia perfectio et perfectibile sunt unius generis. Intelligibile autem, in quantum est huiusmodi, est necessarium et incorruptibile: necessaria enim perfecte sunt intellectui cognoscibilia, contingentia vero, in quantum huiusmodi, nonnisi deficienter; habetur enim de eis non scientia sed opinio; unde et corruptibilem intellectus scientiam habet, secundum quod sunt universalis. » (2. *Cont. Gent.* c. 55.) Hoc argumento utitur Athanasius (*Adv. Gent.* n. 33.); et est vere egregium.

II. Connaturalis modus appetendi qui proprius est voluntatis, consequitur modum quo appetibile apprehenditur ab intellectu. Unumquodque autem naturaliter appetit esse, ut primum et fundamentale bonum sibi pro-

portionatum. Ergo connaturalis modus quo esse desideratur a voluntate, consequitur modum quo ei proponitur ab intellectu. Atqui proprium est intellectus, ut supra sensum elevatur, apprehendere esse secundum se et absolute, ac propterea a determinata temporis mensura exemptum. Ergo naturaliter anima per voluntatem desiderat esse semper. Atqui naturalis appetitus demonstrat connaturalem conditionem essendi rei cui inest. Ergo connaturalis conditio animae rationalis est esse semper. Ad rem S. Thomas. * Potest etiam huius rei accipi signum ex hoc quod unumquodque naturaliter suo modo esse desiderat. Desiderium autem in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem. Sensus autem non cognoscit esse, nisi sub hic et nunc: sed intellectus apprehendit esse absolute, et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium nequit esse inane. (*Summa th.* 1. p. q. 75. a. 6.)

III. Confirmantur haec, et luculenter, spectando naturalem tendentiam humanae voluntatis ad verum et bonum, prout constituunt *optimum* illud quod *beatitudinem* nominamus et nemo non appetit. Etenim anima rationalis est naturaliter capax verae et perfectae beatitatis. Atqui non est capax verae et perfectae beatitatis, nisi cui convenit naturaliter esse semper. Ergo

Prob. maior. Nam desiderium felicitatis quo omnes incitantur, provenit ex ipso fundo naturae rationalis, ut manifestum est ex eius necessitate et universalitate, quod quisque semetipsum interrogando perspicere potest. Insuper ex hac innata tendentia oritur, ut in hoc mundo adspectabili solus homo semper insatiabilis appareat, immo quo maiora bona obtineat, eo plus exstimuletur eius appetitus. Si itaque huic desiderio explendo anima esset naturaliter incapax, profecto non ad illam perficiendam, sed unice exerciendam, tale desiderium a natura ei inditum foret. Atqui id asserere est plane improbabile, et contra excellentiam manifestam quam natura humana praesertit in adspectabili hoc universo.

Prob. minor. Nam illud cui non convenit naturaliter semper esse, non est naturaliter capax illius boni de cuius ratione est ut nequeat amitti. Atqui de ratione perfectae beatitatis est ut semel habita amitti non possit. * Cum enim, ait S. Thomas, ipsa beatitudo sit perfectum bonum et sufficiens, oportet quod desiderium hominis quietet, et omne malum excludat. Naturaliter autem homo desiderat retinere bonum quod habet, et quod eius refinendi securitatem obtineat: alioquin necesse est quod timore amittendi, vel dolore de certitudine amissionis affligatur. Requiritur igitur ad veram beatitudinem, quod homo certam habeat opinionem, bonum quod habet, numquam se amissurum. Quae quidem opinio, si vera sit, consequens est, quod beatitudinem numquam amittet: si autem falsa sit, hoc ipsum est quoddam malum, falsam opinionem habere; nam falsum est malum intellectus, sicut verum est bonum ipsius, ut dicitur in 6. Ethic. c. 2.; non igitur iam vere erit beatus, si aliquid malum ei inest. (*Summa th.* 1. 2^{ae}. q. 5. a. 4.)

Concludimus igitur cum Doctore Seraphico. * Anima rationalis, ait, est immortalis, secundum quod dicit fides Catholica, cui concordat Philosophia, et omnis ratio recta. Licet autem in cognitionem immortalitatis animae rationalis multiplici via possemus deduci et manuduci, potissimum tamen modus deveniendi in eius cognitionem est ex consideratione finis: et hunc modum praecipue approbat Augustinus in 12. De Trinitate, et in Lib. de Civitate Dei. Nec immerito: quia finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem. Hoc igitur primo supponendum est, tamquam verum et certum, quod anima rationalis facta sit ad participandam summam beatitudinem: hoc enim adeo certum est ex clamore omnis appetitus naturalis, quod nullus de eo dubitat, nisi cuius ratio est omnino subversa. Certissimum enim est nobis, quod omnes volumus esse beati. Si igitur beatus esse non potest, qui bonum quod habet, potest amittere: quia hoc ipso iam habet, unde timeat, et unde etiam doleat, et ita unde miser existat: necesse est igitur, si anima facta est

capax beatitudinis, quod ipsa sit per naturam immortalis, (2. *Dist.* 19. a. 1. q. 1.)

241. *Argumentum II.* — Ducitur ex consideratione Dei. Ac imprimis id sufficienter demonstrari posset ex illo generali principio quod S. Thomas sic enunziat: *Deus, qui est institutor naturae, non subtrahit rebus quod est proprium naturis earum.* (2. *Cont. Gent.* c. 55. fin.) Atqui ostensum est in prima parte, nullam esse potentiam ad non esse in natura animae rationalis, utpote incorruptibili. Ceterum id ulterius et efficacissime probatur ex sanctione, quam postulat lex divina, hoc modo.

I. Imprimis igitur certum est naturali ratione, ut suppono et suo loco demonstrabitur, Deum habere perfectam et specialem curam seu providentiam creaturarum rationalium. Ad hanc vero providentiam maxime pertinet, ut divinam suam legem quam inculpavit in cordibus nostris, perfecta sanctione communiat, quae scilicet et respondeat operibus, et idonea sit ad humani generis voluntatem in officio continendam.

II. Certum est praeterea, minime in praesenti vita elucere divinae legis sanctionem, quae sit proportionata operibus. Bona enim quae comitantur in hac vita exercitium virtutis, et similiter mala respectu vitii, in duplici sunt differentia. Alia enim sunt *externa*, operationibus scilicet bonis vel malis, ut valetudo, ingenium, opes, honor, et similia iisque contraria: alia vero *intrinsecus* cum vitio aut virtute sociata. Atqui evidens est, sanctionem quam quaerimus, minime contineri posse bonis vel malis prioris generis: quandoquidem virtuti ac vitio, pro circumstantiarum varietate, sunt communia, immo saepe numero fit, ut bonis istiusmodi vitiosi abundant, frugi autem homines destituantur. Nec etiam bonis vel malis alterius ordinis. Haec enim revocantur vel ad *decorem intrinsecum virtuti* aut *vitiu turpitudinem*, vel ad *conscientiae pacem* seu *angorem*. Atqui virtutis decor ac vitii turpitudinem sunt potius naturalis quaedam proprietates bonae vel malae operationis, quam proprie dicta *retributio*. Praeterea quum virtutis exercitium est in gradu heroico, nimirum quum spernitur ipsa

vita ne quis ab officio dimoveatur, hic ipse decor cum vita amittitur: et contra, vitii turpitudinem ob pravum habitum saepe horrore non amplius habetur: porro nequit censeri praemium proportionatum, quod tunc amittitur, quum quis illud magis meretur, et contra proportionata poena, quam quis eo minus sentit, quo magis ea torqueri deberet. Similiter ratioinandum est de iucunditate virtutis et angore vitii. Illa siquidem plerumque superatur a tormentorum cruciatu vel dolore quo quis afficitur; iste autem assuetudine obtunditur, ac voluptatum ceterarum copia obruitur.

III. Certum est tertio, minime etiam elucere, si praesentem vitam dumtaxat spectemus, divinae legis sanctionem eiusmodi, quae de se idonea sit ad humani generis voluntatem in officio continendam. Talis quippe sanctio contineatur necesse est spe assecutionis vel timore amissionis alicuius boni, quod proportionatum sit naturali tendentiae voluntatis. Sola autem felicitas huic tendentiae explendae proportionata est, et infelicitas contra sen perfecta miseria ei omnino reluctatur: neutrum autem existit quamdiu hanc vitam vivimus. Praesertim vero considerare oportet, motivum eiusmodi efficax fore debere, non respectu huius vel illius hominis in particulari, sed respectu *generis humani universe spectati*. Atqui, communiter loquendo, homines non multum moventur ex huius vitae bonis vel malis, tum quia regulariter loquendo consociari solent, tum maxime quia brevis, et, ut sic dicam, momentanea sunt durationis, voluntas autem est appetitus illimitatus.

IV. Hinc quarto manifeste consequitur, post fata corporis, aliam vitam fore oportere, in qua locus sit divinae legis retributioni. Nec dicatur, hinc non adhuc manere probatum, hanc vitam aeternam esse duraturam. Praeter enim argumentum ductum ex conceptu felicitatis, haec instantia excluditur, quia si anima non perit ex defectu corporis, non est unde pereat. Nam extra corpus nec habet contrarium, nec illi deest causa conservativa, neque ulla est ratio cur determinatam durationem potius habeat quam perpetuam. Quare nemo negavit animae immorta-

litem, qui non simul crederet eam indigere corpore ad existendum.

242. *Argumentum III.* — Confirmantur denique haec omnia generali quadam ac manifesta prudentiae maxima. Communissima nempe humani generis sententia tenenda est, cuius nulla errandi causa assignari potest, immo, quo plus examinetur, eo magis consentanea apparet cum rationis principiis, praesertim si ipsa tantum sit unice tuta, et ad mores dirigendos maximopere conferat. Ratio huius maximae in eo est, quod persuasio his characteribus insignita, nequit oriri nisi vel ex sensu naturae communi, vel saltem ex speciali divinae Providentiae auxilio, quae non deficit in necessariis. Utrobique autem infallibilem veritatis originem inveniri, non nisi scepticus vel atheus inficiabitur. Iam age, tale est dogma de vita futura.

I. Imprimis enim in hac veritate consentientes habemus celebriores philosophos qui in antiquitate floruerunt, nec non gentium cuiuscumque nominis universitatem, ita ut Tullius non dubitaverit asserere: *Uti Deos esse natura opinamur, sic permanere animas arbitramur consensu nationum omnium.* (*Tuscul.*, lib. I.) Accedit, quod ab iis solummodo videmus hanc veritatem negari, qui ut in coeno voluptatum huius vitae securius et liberius sese ingurgitent, nihil non moluntur, ut alterius vitae timorem a se excutiant.

II. Hanc veritatem maxime congruere cum recto dicamine rationis, patet ex praecedentibus. Nullam autem causam erroris in eius persuasionem assignari posse, inde manifestum fit, quod erroris causae in re praesenti vel non sunt generales, vel si quae sunt, contrarium potius persuaderent, ut quisque facile per se ipse considerare poterit.

III. Quod haec sola sententia sit unice tuta, patet ex eo quod nihil timendum ei qui amplectitur, plurimum vero illam neganti. Eamdem vero summopere conferre ad rectam morum institutionem, ratio est, quia ex huius problematis resolutione edocemur, num actionum humanarum finis in hac vita potius, quam in alia sit expectandus. Porro, ut observavit Tullius: "Hinc in Philosophia constituta sunt

omnia. Nam ceteris in rebus, sive praetermissum, sive ignoratum est quidpiam, non plus incommodi, quam quanti quaeque earum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quam in partem se recipiunt, seire non possint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligatur, quid sit et bonorum extremum, et malorum, inventa vitae via est, confirmatioque omnium officiorum." (*De Fin.*, lib. 5.)

243. *Corollarium.* — *Anima rationalis recte dicitur suapte natura immortalis.* — Patet ex ipsa terminorum interpretatione. Cum mors vitae opponatur, immortalitas perinde valet atque *indestructibilitas entis viventis*. Haec vero in triplici differentia invenitur; est enim *essentialis, gratuita, vel naturalis*. Prior competit enti, cui ex vi suae essentiae repugnat ut esse desinat. Et hoc sensu solus Deus immortalis est, prout inquit Apostolus I. Tim. VI. 16. *Qui solus habet immortalitatem*. Cetera enim, utpote contingentia, sicut ex vi suae essentiae non habent ut sint, sic etiam non habent ut in esse perdurent. *Gratuita* illa dicitur, quae ex indebito Dei beneficio enti convenit quod eam naturaliter minime postulat: puta quam corpora nostra fuissent habitura, si Adam non peccasset. Quasi media inter hunc duplicem immortalitatis modum est indestructibilitas propria creati spiritus: ea nimirum quae existit in ente contingente, quod secundum suam exigentiam naturalem habet ut a Deo sine fine conservetur, quaeque idcirco *naturalis* vocatur. Talem porro esse immortalitatem animae rationalis, patet ex praecedentibus.

Quaeres fortasse, an *absolute* sit possibile, quod spiritus, hac ratione immortalis, in nihilum a Deo redigatur.

Respondeo cum Suarez. "Certum est, ait, Angelum posse a Creatore suo privari suo esse, et hac ratione non esse omnino incorruptibilem, si haec vox omnem destinationis modum, etiam annihilationem excludat, ac proinde in contrario sensu posse dici corruptibilem. Hoc de fide certum est: quia de fide est, Angelos a Deo pendere, non

solum in fieri, sed etiam in conservari; et similiter de fide certum est. Deum, sicut libere creavit Angelos, ita libere eos etiam conservare, ac posse Deum eos non conservare, si velit, *absolute et per se loquendo*. (De Angelis, lib. I. c. 9. n. 5.) Neque id impedit, quominus, sicut Angelus, ita etiam anima rationalis sit *naturaliter immortalis*. Ut enim ibidem subdit Doctor Eximius: "Non est enim sensus, quod Deus non possit annihilare illum (Angelum), sed quod talis annihilatio nunquam esse possit *secundum naturam Angelis, nec ex interna potentia reali aut inclinatione eius*. Sicut lapis dici non potest natura sua mobilis sursum, etiam respectu Dei, quia licet Deus posset movere lapidem sursum, non potest tamen facere ut talis motus sit ei naturalis, aut ab intrinseco, sed violenter, aut ad summum obediencialiter: *ita ergo est de annihilatione*." (loc. cit. c. 10. n. 5.) Confer S. Thomam (Qq. Disp. Pot. q. 5. a. 3, 4.).

Dices. Si res ita habet, ergo non est certum, citra positivam Dei revelationem, animam rationalem in nihilum minime redactum iri.

Respondeo. *Neg. conseq.* Nam primo quidem est metaphysice certum, in anima esse *naturalem exigentiam* ut perpetuo vivat. Huic enim naturali exigentiae minime opponitur *absoluta* illa possibilitas annihilationis. Inde vero secundo fit certum, non quidem metaphysice, sed *physice*, rem ita fore [Pr. Ph. 230, seqq.]. Quae vero Deus facturus est supra et contra naturalem rerum exigentiam, philosophi non est definire, sed unice ex divina revelatione petendum: quae, in re praesenti si consulatur, perpetuam animae fore durationem, post fata corporis, auctoritate sua abunde confirmabit.

Solvuntur difficultates.

244. **Obiectio I.** — Animae humanae connaturale est intelligat per conversionem ad phantasmata. Atqui in anima a corpore separata nulla sunt phantasmata. Ergo sepa-

rata a corpore nequit intelligere, ac propterea non est ratio cur a Deo conservetur.

Respondeo. *Dist. mai.* Et hoc convenit animae humanae absolute, *neg.*; et hoc ei convenit ratione status unionis, *conc. Conc. min. Dist. conseq.* Nequit intelligere eo modo intelligendi quem habet in statu unionis, *conc.*; alio modo connaturali substantiae separatae, *neg.*

Ut in disputatione sequenti ostendemus, quidditas in re sensibili existens, et per phantasma intellectui obiecta, est quidem obiectum proprium humanae mentis, sed ratione status unionis. Cum vero anima rationalis sit spiritus, eiusque propterea esse sit a corpore independens, necessario consequitur, in statu separationis alium essendi modum eidem animae connaturalem etiam convenire. Operatio autem sequitur modum essendi. Ergo dicendum est, animam rationalem a corpore separatam eo modo operationem suam propriam, intellectuales scilicet, habituram fore, qui conveniens est intelligentiae separatae, *per conversionem* scilicet, ut ait S. Thomas, *ad ea quae sunt intelligibilia simpliciter*. (*Summa th.* 1. p. q. 89. a. 1.) Uti vides, in hac probatione nullus conservat Sylvester Maurus: "partim a posteriori, partim a priori. Ex eo enim principio, quod modus operandi proportionatur modo essendi, arguitur a posteriori. Intellectio non pendet a materia, ergo nec anima, ergo per se subsistit et remanet extra materiam. Ex eodem principio probatur deinde a priori. Anima habet duplicem modum essendi; ergo etiam intelligendi; ergo, sicut cum est in corpore convertitur ad corpus in intelligendo, ita cum est extra corpus non convertitur ad corpus nec in intelligendo. Ergo pro statu separationis intelligit per conversionem ad sola intelligibilia." (*Qq. Phil.*, lib. 4. q. 2.) Quo pacto autem hi duo modi operandi bene invicem cohaerere possint, in sectione secunda huius disputationis ex professo declaravimus, [th. III].

Obiectio II. — Anima per se est corporis forma. Atqui formae non convenit esse nisi in subiecto cuius

est forma. Ergo animae rationali minime convenit esse a corpore separatam.

Respondeo. *Dist. mai.* Anima per se est forma corporis, sic tamen ut esse quod tanquam forma communicat corpori, materiae capacitatem excedat, *conc.*; anima per se est forma corporis ita, ut esse quod corpori communicat, sit adaequatum materiae capacitati, *neg. Contradist. min. Neg. consequ.*

Ut ante declaravimus [223], ideo dicitur esse animae rationalis superexcedere materiae capacitatem, quia, etsi ei communicatur ad constituendum compositum, remanet tamen in se subsistens, adeoque minime eget materia ut in sua subsistentia perduret. Contra accidit in formis non subsistentibus, quae propterea, dissoluto composito, naturaliter esse desinunt, quia eis non convenit esse nisi in composito et per compositum. * Dicendum, ait S. Thomas, quod licet anima per suam essentiam sit forma, tamen aliquid potest ei competere, in quantum est talis forma, scilicet forma subsistens, quod non competit ei in quantum est forma: sicut intelligere non convenit homini, in quantum est animal, licet homo sit animal secundum suam essentiam.... Dicendum quod licet corpus et anima conveniant ad unum esse hominis, tamen illud esse est corpori ab anima: ita quod anima humana esse suum, in quo subsistit, corpori communicat, ut ex praemis- sissis quaestionibus ostensum est: et ideo, remoto corpore, adhuc remanet anima. (Qq. Disp. *De Anima*, a. 15. ad 10, et 11.)

Instabis. Corruptibile et incorruptibile differunt secundum genus. Atqui anima rationalis et anima brutorum non differunt secundum genus. Ergo, sicut ista, sic illa corruptibilis dicenda est. Quare Eccl. III. 19. dicitur: *Unus est interitus hominis et iumentorum, et aequa utriusque conditio.*

Respondeo. *Dist. mai.* Corruptibile et incorruptibile differunt secundum genus, quatenus accipiuntur ut praedicata essentialia rei *per se* sub genere contentae, *conc.*; quatenus sunt praedicata essentialia rei *per reductionem*

sub genere contentae, *neg. Contradist. min.* Et hoc ideo contingit quia *reductively* pertinent ad genus animalis, *conc.*; quia *per se* sub tali vel alio genere ordinantur, *neg.*

Ad rem S. Thomas. * Si anima humana et anima iumentorum per se collocarentur in genere, sequeretur quod diversorum generum essent, secundum naturalem generis considerationem: sic enim corruptibile et incorruptibile necesse est genere differre, licet in aliqua ratione communi possent convenire, ex quo et in uno genere possunt esse secundum logicam considerationem. Nunc autem anima non est in genere sicut species, sed sicut pars speciei. Utrumque autem compositum corruptibile est, tam illud cuius pars est anima humana, tan illud cuius pars est anima iumentorum; et propter hoc nihil prohibet ea esse unius generis. (loc. cit. ad 2.) Ad illud vero quod additur ex Ecclesiastis c. III. notandum est, prout ex doctrina M. Gregorii animadvertit S. Thomas (l. c. ad 1.), in primis capitibus huius libri plura dici ab eius auctore in persona aliorum, etiam stultorum, per modum quo *concionator*, (id enim significat Ecclesiastes), antequam rem definiat, expendit quae pro et contra dicuntur. Quid vero, in re praesenti, definitive tandem tenendum sit, idem Ecclesiastes in cap. ultimo perspicue edocuit illis verbis quae paulo ante recitavimus: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.*

Obiectio III. — Nihil prohibet dentur desideria, naturalia quidem, sed inefficacia. Atqui naturae ordo minime postulat, ut desideria istiusmodi expleantur; quod manifestum est in naturali desiderio quo omnes cupimus perpetuo vivere etiam quoad corpus. Ergo nihil evincitur in favorem immortalitatis animae ex naturali appetitu quo citemur in bonum et beatitatem.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sermo sit de desiderio absoluto quodque sit radix ceterorum, *neg.*; si sermo sit de desiderio pure conditionato, vel secundario, *conc. Contradist. min. Neg. consequ.*

Naturale desiderium in bonum, qua tale, et in bonum illud optimum quod beatitudinem vocamus, non condi-

tionato modo, sed absoluto, in omnibus cietur, ut quisque sibi conscius est. Est praeterea desiderium quoddam primum ex quo, tanquam ex radice, ceterae appetitiones voluntatis consequuntur. Patet autem, ex tali tendentia manifestari ipsam naturae destinationem, adeoque inane esse non posse. Contra vero contingit in aliis desideriis quae obiciuntur. Ac sistendo in exemplo ponitur de appetitu vitae corporalis perpetuae, patet hunc esse conditionatum. Cum enim corpus sit suapte natura corruptibile, ei conaturaliter debita non est vita perennis; quare secundum rectam rationem appetitur quidem, sed sub conditione, si facultas scilicet concederetur rem eiusmodi obtinendi (1).

Obiectio IV. — Supplicium positum impiorum in altera vita fore perpetuum, fides Catholica credit, sed naturalis ratio non demonstrat. Atqui hoc demonstrare oporteret, ut evincatur animam rationalem fore immortalem. Ergo haec immortalitas philosophice non demonstratur.

Respondeo. *Transm. mai. neg. min.* Etsi namque concederetur, sistendo in solo lumine naturalis rationis, demonstrative probari non posse aeternitatem poenarum impiis in altera vita reservatam, minime inde concludere fas erit, animam rationalem quandoque fore perituram. Nimirum, data ea hypothesi, non vitae ipsius animae, sed supplicii dumtaxat finis argueretur. Ceterum transmissimus maiorem: sunt enim optimae rationes etiam naturales quae haec aeternitatem comprobant. Et re quidem vera:

(1) Haec dicimus secundum tutiorem et probabiliorum sententiam eorum qui docent, futuram corporum resurrectionem, etsi solum secundum substantiam inspicatur, esse supra naturae debitum ac facultatem, atque adeo supernaturalem dicendam esse, non naturalem. Rationes enim naturales, quae in hunc finem adduci solent, gravissimae quidem sunt ad suadendum, animam separatam fore iterum quandoque corpori uniendam: id tamen non evincunt, ob naturalem scilicet quam diximus corporis corruptibilitatem. Confer S. Thomam (4. *Cont. Gent.* c. 79. coll. 4. *Dist.* 43. q. 1. a. 1. solut. 3.): item Suarez (*De Mysteriis vitae Christi*, D. 44. sect. 7.).

I. Poenam in altera vita impiis reservatam, non in sola quadam privatione consistere, sed positivum aliquod nocumentum includere debere, manifestis rationibus probat S. Thomas (3. *Cont. Gent.* c. 145.). Potissima vero ducitur ex ipsa ratione peccati actualis, quod duplici inordinatione, quasi duplici parte integrali, complectur. Qui enim mortaliter peccat, avertitur ab incommutabili bono, quod est Deus, se convertendo ad creaturam, in ea practice constituendo finem ultimum propriae operationis. Opus est proinde in iusta retributione seu vindicatione, ut quis non solum privetur bono quod contempsit, sed positivam etiam afflictionem experiatur, pro inordinata scilicet voluptate seu delectatione quam observantiae divinorum praeceptorum praetulit.

II. Hoc vero supplicium aeternum fore, duplici potissimum naturali ratione ostenditur. Prima est, quia peccatum mortiferum est malum de se irreparabile, utpote contra finem ultimum humanae vitae, et contra vinculum caritatis. Ergo reatum inducit de se perpetuum. Est autem rationabile, ut poena tandem duret, quamdiu permanet reatus per se a culpa inductus. Vide hanc rationem expositam apud Angelicum (*Summa th.* 1. 2^o q. 87. a. 3., 4. *Dist.* 46. q. 1. a. 3.). Altera ratio petitur ex gravitate noxae mortalis, ob formalem aut virtualem saltem contemptum infinitae Dei maiestatis quem continet. Inde enim quamdam quasi infinitatem malitiae nascitur, altioris scilicet ordinis quam ut bonis operibus purae creaturae quantumvis multis et magnis ex aequo compensari queat. Patet autem malum istiusmodi, cui compensando nulla bona purae creaturae sufficiunt, quantumvis longo tempore continuata, poenam mereri quovis finito tempore longiorem, adeoque perpetuam. Quibus illud etiam addi potest, omnino scilicet expedire pro honore debito infinitae Dei maiestati, ut eius contemptus summe timeatur. Atqui id minime haberetur, si poena timeretur tantum temporaria propter eiusmodi contemptum infligenda. Ut enim optime ait Hieronymus: *Finge quot libet annos, et tempora duplica, et infinitas aetates congere cruciatibus; si*

finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus. (In Lon. c. 3.)

SECTIO VII.

De origine animae rationalis.

245. **Erroris diversi.** — Cum unumquodque originem sortiatur secundum quod eius naturae convenit, rectus ordo disciplinae postulat, ut cum egerimus de natura animae rationalis, quae sit eius origo modo exquiramus. Mirum est, quot errores in praesenti quaestione fuerint, et adhuc existant, etiam apud homines qui divinae revelationis luce non destituuntur. Praecipuas classes hic innumus.

Primo itaque huc pertinet vetustissimus error Pythagorae, Stoicorum, Manichaeorum, aliorumque, quibus recentiores pantheistae adstipulantur. *Emanatismus* dicitur idcirco quod ponit animam existere per emanationem ex divina substantia, vel ut particulam quamdam ab ea decisam, vel ut affectionem seu modum quo substantia divina diversimode explicetur seu manifestetur.

Accedit *traducianismus*, sententia scilicet eorum qui ponunt animas liberorum, non minus quam eorum corpora, generari a parentibus. Duplex est, *materialis* et *spiritualis*. Priorem docuit Tertullianus, ac in eo consistit ut dicantur animae liberorum traduci ab animabus parentum, *medio semine corporeo*, sic nimirum ut per virtutem a generante in semine derivatam tum corpus tum anima liberorum producat. Spiritualis vero, loco corporci, *incorporeum semen* introducit ita ut, quemadmodum loquitur Augustinus, incorporeum semen animae sua quadam occulta et invisibili via seorsum ex patre currat in matrem, eum fit conceptus in femina. Haec postrema sententia S. Doctorem ancipitem tenuit, quia inde ratio aliqua

ei videbatur reddi explicandi propagationem peccati originalis.

Tertius error merito appellatus est *realismus*, siquidem, in re praesenti, resuscitat antiquam opinionem mediae aetatis de universalibus *a parte rei*. Hunc defendunt qui ex schola Guntheriana, ad species viventium quod attinet, unam eandemque dicunt esse animam in parentibus et liberis, in prima creatione a Deo conditam: hanc vero universalem animam liberis appropriari pro eo quantum parentes in ea producant *hypostasim* seu *individuationem*, per quam evadit anima huius determinati hominis de novo generati. Hoc vero commentum ex eo etiam probant, quia sic facillime explicatur transfusio peccati originalis, ac praeterea etiam facilius erit tueri mysterium divinae Trinitatis: quasi nempe Catholicae fidei mysteria naturali rationi debeant esse pervia, idque mediante explanatione primis rationalibus principiis omnino adversa!

Quarto loco digna est quae hic recensetur vetus quaedam opinio de origine animae rationalis. Eam sic recitat S. Thomas loquens de generatione hominis. * Dicunt ergo quidam, quod supra animam vegetativam, quae primo inerat, supervenit alia anima quae est sensitiva: supra illam iterum alia quae est intellectiva. Et sic sunt in homine tres animae, quarum una est in potentia ad aliam: quod supra improbatum est q. 76. a. 3. *Et ideo alii dicunt*, quod illa eadem anima, quae primo fuit vegetativa tantum, postmodum per actionem virtutis quae est in semine, perducitur ad hoc ut ipsa eadem fiat sensitiva, et tandem ad hoc ut ipsa eadem fiat intellectiva, *non quidem per virtutem activam seminis, sed per virtutem superioris agentis, scilicet Dei deforis illustrantis.* (Summa th. 1. p. q. 118. a. 2. ad 2.) Hunc errorem, quoad ultimam partem amplexus est A. Rosmini (*Psicol.*, vol. I. lib. 4. c. 23.). Docuit scilicet, animam liberorum, prout sensitiva est, a parentibus per traducem derivari, eandem vero fieri deinde intellectivam per apparitionem ideae Entis quam Deus illi manifestat.

Postremo, in hac re, multi errarunt quoad tempus

originis, omnes scilicet illi qui vel cum Platone posuerunt animas ab aeterno praeexistisse, vel cum Origenianis docuerunt cunctorum hominum animas simul cum Angelis in principio creationis fuisse conditas, nec natura propria ab Angelis differre, sed meritis duntaxat.

246. **Catholica veritas.** — Adversus hos omnes errores est sententia unice vera et tenenda, quae duo docet. Primo, uniuscuiusque hominis animam rationalem per veri nominis creationem ex nihilo a Deo in esse produci. Secundo, tum vero creari cum corpori infunditur, ita ut creando infundatur, et infundendo creetur. Etsi autem prioribus Ecclesiae seculis dubia extitit prima pars huius veritatis, in praesenti sine errore in fide, vel ingenti saltem temeritate, in dubium a catholico revocari minime potest. Theologi enim Scholastici omnes unanimi consensu de hac re loquuntur tamquam de veritate ex principiis fidei tenenda, ac Doctor Angelicus minime dubitavit pronuntiare, *haereticum esse dicere quod anima intellectiva traducatur cum semine.* (loc. cit.) Videatur Magister 2. Dist. 18., ac Doctores in cit. Dist., vel in 1. p. q. 90. et 118. Quoad alteram vero partem huius sententiae extat decretum dogmaticum S. Leonis ad Turibium Asturicensem Episcopum *De Priscillianistarum erroribus*, ubi haec habentur.

* Referuntur asserere, animas quae humanis corporibus inseruntur, fuisse sine corpore, et in coelesti habitatione peccasse.... Sed omnes eos Catholica fides a corpore suae unitatis abscedit, *constanter praedicans atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuisse, nec ab alio incorporantur, nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator et corporum.* (c. 10.) Confer librum ea de re ex professo scriptum a B. Hieronymo *adversus Iovinem Hierosolymitanum* in quaestione secunda.

THESIS VII.

Anima rationalis est ens factum. Per se autem efficitur seu ratione sui, non per accidens seu ratione compositi; non quidem materiae cuiusque transmutatione, sed vera ac proprie dicta creatione, nec ante corpus, sed simul ac corpori infunditur.

247. **Probatio I. partis.** — Ut enim in Philosophia Prima ostensum est [th. XVIII], et uberius suo loco demonstrabitur, ens infectum unicum sit oportet, et actualitate constat ab omni potentialitate, compositione, et imperfectione libera. Atqui anima rationalis imprimis multiplicatur pro multiplicatione corporum, ut ante demonstravimus [234. seqq.]. Est praeterea maxime in potentia ad suas operationes, ut quisque sibi conscius est. Maxima etiam in his operationibus apparet compositio, praesertim in iudicando et discurrendo. Denique nemo non est qui sentiat, eam esse valde imperfectam, tum ob rationes praecedentes, tum ob magnam ignorantiam, et errores prope innumeros quibus humana cognitio deturpatur. Ergo necessario fatendum est, animam rationalem esse ens factum. Hinc autem manifeste patet falsitas emanatismi. Nihil enim manare potest ex divina substantia, nisi eiusdem sit naturae cum Deo; ob simplicitatem nimirum omnimodam divinae substantiae. Quod vero in divina natura subsistit, eo ipso Deus est, ac propterea easdem perfectiones habet. Quare Augustinus *contra Fortunatum Manichaeum*. * Si anima substantia Dei est, substantia Dei errat... substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas est dicere. . Et alibi. * Non est pars Dei anima.... quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, quantum

ad ipsius eius affectiones pertinet. Quam vero aliter se habeat, non opus est extrinseco testimonio. Quidquid semetipsum advertit, agnoscit... Non est itaque natura incommutabilis, quae aliquo modo, aliqua causa, aliqua parte mutabilis est. Deum autem nefas est, nisi vere summeque incommutabilem credere. Non est igitur anima pars Dei. (Epist. 166. n. 3.)

248. **Probatio II. partis.** — Hanc ducimus cum B. Thoma, quoad singula eius membra, ex principiis tum philosophice tum theologicæ certis.

I. Dicimus itaque imprimis, animam rationalem *per se* effici, non *per accidens*, actione scilicet quæ directe terminetur ad ipsam, non vero ad compositum cuius effectione ipsa etiam effici dicatur. Hic enim effectiois modus, *per accidens* scilicet, non convenit nisi formis non subsistentibus. Atqui anima rationalis est forma subsistens. Ergo *per se*, non *per accidens*, efficitur. Ad rem S. Thomas. "Cum fieri sit via ad esse, hoc modo alicui competit fieri, sicut ei competit esse. Illud autem proprie dicitur esse, quod habet ipsum esse, quasi in suo esse subsistens... Et ideo nulli formæ non subsistenti proprie convenit fieri, sed dicuntur fieri per hoc, quod composita subsistentia fiunt. Anima autem rationalis est forma subsistens, ut supra habitum est q. 75. a. 2. Unde ipsi proprie competit esse et fieri." (*Summa th.* 1. p. q. 90. a. 2.)

II. Nequit autem effici actione aliqua transmutativa, quo modo *per se* efficitur compositum ex materia et forma. Ratio est, quia omnis eiusmodi actio versetur oportet circa materiam aliquam præexistentem. Atqui actio quæ anima rationalis efficitur, non potest versari circa materiam præexistentem. Talis quippe materia vel esset naturæ corporeæ, vel naturæ incorporeæ seu spiritualis. Atqui anima rationalis nequit educi ex materia naturæ corporeæ, quia tunc et ipsa esset naturæ corporeæ, non spiritualis; nec etiam fingi potest, eiusmodi materiam esse spiritualem, quia tunc substantiæ spirituales invicem transmutarentur, adeoque non essent incorruptibiles. Ergo impossibile est, animam produci *per transmutationem* cu-

insque materiae. Fit itaque vera et proprie dicta creatio; hæc siquidem est sola effectio quæ circa materiam præ-existentm non exercetur. Quare S. Thomas post verba paulo ante relata sic pergit. "Et quia non potest fieri ex materia præ-existent, neque corporali, quia sic esset naturæ corporeæ, neque spirituali, quia sic substantiæ spirituales invicem transmutarentur; necesse est dicere, quod non fiat nisi *per creationem*." (*loc. cit.*) (1).

III. Addimus denique, animam non creari antequam proprio corpori infundatur, sed infundendo creari, et creando infundi, ut dici solet. Imprimis enim contra præ-existentiam animorum, quam Plato et Origeniani confixerunt, faciunt illa ipsa argumenta quibus Pythagoræ metempsychosim ante redarguimus [236], quia scilicet unio animæ cum corpore in ea hypothese evaderet violenta, et præterea præter et contra rationem omnem obtrudatur oblivio præcedentium recte vel prave factorum. Accedit etiam argumentum quo utitur S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 118. a. 3.). Quæ enim a Deo immediate procedunt, oportet esse completa iuxta naturæ ordinem; perfecti enim est perfecta efficere. Ergo quemadmodum Deus, ut ibidem loquitur S. Thomas, non fecit

(1) Observatione dignissima est prudentia S. Doctoris in hac demonstratione. Nimirum non deerant tunc temporis, cum hæc scribebat, haud ignobilis notæ doctores, qui etiam in substantiis spiritualibus compositionem admittēbant ex materia quadam ordinis spiritualis, et forma. Ponebant tamen simul, ut S. Thomas advertit (*l. c.* ad 1.), istiusmodi materiam non esse in potentia ad aliam formam, et sic cum dicta compositione conciliabant naturalem incorruptibilitatem substantiarum spiritualium, quam fides docet et ratio demonstrat. Etsi vero Angelicus passim reprobat, ut reipsa reprobari debet, hunc compositionis modum in substantiis spiritualibus, nihilominus noluit ut demonstratio de creatione animæ rationalis ex hac controversia penderet: nempe ut sic rem gravissimam demonstraret ex principiis in omni schola certissimis et catholicis, etiam fide tenendis, scilicet ex spiritualitate et incorruptibilitate animæ rationalis. Perspicitur ne similis prudentia apud eos scriptores nostri temporis qui ex sola simplicitate animæ arguunt in re præsentis? Non potest.

hominem sine manu, aut sine pede quae sunt partes naturales hominis, multo minus dicendum est, ipsum fecisse animam sine corpore. Nec refert, quod anima permaneat post corpus. Id enim contingit per defectum corporis qui est mors; non vero ex immediata actione Conditoris.

249. *Scholion*. — Ex praecedenti veritate simul a redarguuntur omnium errorum classes initio [245] recensitae. Specialim vero duo observa. Primo, contra *realismum* scholae Guntherianae faciunt praeterea omnia quibus demonstravimus in Logica [th. XIX.], non posse unitatem singularitatis reipsa distingui a natura specifica, quin necessaria doctrinae consecutione deveniatur ad absurda omnia quibus inficitur philosophia transcendentalis quam dicunt *identitatis*. Secundo, nulla ratione licet asserere animam humanam, ut sensitivam, derivari per traducem a parentibus. Nam est una eademque ac anima intellectiva. Ergo quemadmodum haec creatur, sic etiam illa. Neque aliquid proficit suprema immediata illa illustratio quam Rosminus comminiscitur, quae ceteroquin sat ribilis haud immerito alicui videri poterit (1). Ut enim

(1) En qu pacto Rosminus eiusmodi metamorphosim exponit. * Che un principio animale non possa intuire l'idea, se non giunto alla maggior potenza di animalità, si può conghietturare supponendo che ogni virtù del principio sensitivo, quando non sia giunto alla maggior potenza specifica, rimanga spessa ed assorbita nella tendenza a conseguire lo stato di perfezione organica che gli manca, e quindi non possa assorgere a riguardare l'essere ideale per se intelligibile essenzialmente ed ovunque presente, (poiché se non è veduto, è per difetto del soggetto, a cui non resta virtù da volgersi a lui). Infatti se si supponga che la virtù di un principio sensitivo tutta si esaurisca nell'organizzare la materia, niente più rimane di esser col quale possa attuarsi verso l'ente. Ma dopo che la perfezione specifica dell'organismo e del sentimento è appieno conseguita, il principio non adopera più quella virtù e forza, che impiegava nella fatica dell'organizzazione; ed esso incontra allora l'essere presente per tutto, come dievo, e prendendolo a termine del suo atto si rende intelligibile. Perocché è da considerare, per dirlo di nuovo, che l'essere è dovunque, ed è dovunque intelligibile; non potendo essere altro, tale e la sua propria essenza. Onde se poniamo esistere una virtù

arguit S. Thomas: "Aut id quod causatur ex actione Dei, est aliquid subsistens; et ita oportet quod sit aliud per essentiam a forma praeeistente, quae non erat subsistens; et sic redibit opinio ponentium plures animas in

universalmente sensitiva (un soggetto), atta cioè a sentire ogni cosa che le sia presente, avverrà che questa virtù sentirà l'essere, il quale non manca mai, a sola condizione che essa non sia occupata od esaurita in altro, e col solo sentirlo, sarà resa intelligente; perchè la natura del principio sentiente viene determinata dal sentito; e questa è la natura dell'essere, che venendo sentito renda intelligente il sentiente, appunto perchè egli è l'intelligibilità stessa dell'essere e non può mescersi con altro, essendo oggettivo per essenza. A intendere questo fatto basta dunque supporre che la virtù o principio sensitivo, che chiamiamo soggetto, possa terminare il suo atto ad ogni cosa presente; ma che essendo quella virtù limitata, talora si arresti nell'atto suo per esaurimento di forza, talora poi gli avanzi vigore da sentire l'essere intelligibile. » (*Psicologia*, vol. I. lib. 5. c. 5.). Paulo inferius autem ita declarat permutationem animae intellectivae post dissolutionem corporis. * Collo sciogliersi, ait, l'organizzazione si scioglie il sentimento perfetto ed umano in più sentimenti imperfetti, nessuno de' quali può avere un principio idoneo a intuire l'ente. Cessa dunque a questi nuovi principii sensitivi, nati dalla distruzione del corpo umano l'attitudine a veder l'ente, e perciò niuno di essi è l'anima umana; essi hanno perduta l'identità con questa anima. All'incontro l'atto, che intaise l'ente, quando è già posto, non ha più bisogno del sentimento animale per sussistere, perchè egli è al tutto indipendente da lui; e questa è l'anima umana, che prima era identica col principio sensitivo. » (*Ibid.* c. 8.) Que sententia ut melius intelligatur, advertendum est, ex mente Rosmini (*loc. cit.* n. 542), omnia corpora, etiam elementaria, esse animata anima sensitiva, etsi haec non *manifestetur* nisi sub organismo animali in quo multiplices illae animulae sensitivae, quae inhaerent singulis atomis materialibus, invicem uniantur et miscentur ad componendam animam propriam cuiusque animalis. Quare post verba paulo ante recitata haec subdit immediate. * Come dunque diversi principii sensitivi possono unificarsi in un solo; così un dato principio sensitivo si può unificare ed identificare col principio dell'atto intellettivo. Ma come un principio sensitivo si può moltiplicare, così può anche separarsi dal principio intellettivo, ed in tal caso perde l'identità sua, non è più principio umano. » Mirari profecto licebit, qua ratione naeviae istiusmodi dici queant ab homine gravi et serio loquente!

corpore: aut non est aliquid subsistens, sed quaedam perfectio animae praexistentis; et sic ex necessitate sequitur quod anima intellectiva corrumpatur, corrupto corpore: quod est impossibile. (Summa th. 1. p. q. 118. a. 2. ad 2.)

Solvantur difficultates.

250. *Obiectio I.* — Omne agens agit sibi simile, et quidem secundum speciem, si sit univocum. Atqui parentes in generatione liberorum sunt agentia univoca; liberi autem secundum speciem parentibus assimilantur in anima rationali. Ergo anima rationalis ex generatione in eos a parentibus derivatur.

Respondeo. *Concessa mai. et min. dist. conseq.* Quatenus ex generatione anima rationalis habet esse per se et absolute, *neg.*; quatenus ex generatione anima rationalis adquirit esse in tali corpore, *conc.*

Liberi parentibus assimilantur in specie humana; sortiuntur autem humanam speciem secundum quod anima rationalis evadit corporis forma. Ergo ut generatione dicantur sibi liberos assimilare secundum speciem, satis est ut per generationem sint causae huius informationis; quod profecto praestant disponendo materiam dispositione ultima exigitiva huius informationis. Ad rem S. Thomas. * Generans generat sibi simile in specie, in quantum generatum per actionem generantis perducitur ad participandam speciem eius; quod quidem fit per hoc quod generatum consequitur formam similem generanti. Si ergo forma illa non sit subsistens, sed esse suum sit solum in hoc quod uniatui ei cuius est forma; oportebit quod generans sit causa ipsius formae, sicut accidit in omnibus formis materialibus. Si autem sit talis forma quae subsistentiam habeat, et non dependeat esse suum totaliter ex unione ad materiam, sicut est in anima rationali; tunc sufficit quod generans sit causa unionis talis formae ad

materiam per hoc quod disponit materiam ad formam; nec oportet quod sit causa ipsius formae. (Qq. Disp. Pot., q. 3. a. 9. ad 6.)

Instabis. Quo perfectior est forma, eo perfectiore virtute pollet ad agendum. Atqui per actionem generativam animae irrationalis, non sola informatio, sed forma ipsa producitur. Ergo id ipsum a fortiori concedere oportet in generatione humana.

Respondeo. *Concessa mai. et min., neg. conseq.* Anima rationalis perfectiorem utique virtutem habet ad agendum, quae maxime elucet in actione intelligendi, et etiam in ipsis operationibus ordinis inferioris quae modo longe nobiliori exercentur in homine, quam in natura animali aut vegetali. Quod vero haec activitas non extendatur ad ipsam productionem animae rationalis, hoc ei convenit ob ipsam eius excellentiam supra ceteras formas corporales. * Dicendum, ait S. Thomas, quod anima cum sit perfectior formis materialibus, posset sibi similem producere, si anima rationalis posset produci aliter quam per creationem, quod esse non potest; et hoc provenit ex eius perfectione, ut ex praedictis potest patere. (loc. cit. ad 26.)

Instabis. In divinis datur veri nominis generatio sine detrimento divinae simplicitatis et spiritualitatis. Ergo ex animae spiritualitate nequit duci efficax argumentum contra traducianismum, spiritualem saltem.

Respondeo. *Conc. antec., neg. conseq.* * Dicendum, ait rursus Angelicus, quod in solo Deo potest esse una natura in pluribus suppositis, et ideo ibi solummodo potest esse generatio sine imperfectione mutationis et divisionis. Unde nobiliores creaturae, quae sunt indivisibiles nec substantialiter transmutantur, sicut anima rationalis et Angelus, non generantur; sed inferiores creaturae, quae sint divisibiles et corruptibiles. (loc. cit. ad 27.) Adverte hic contra errorem scholae Guntherianae ante relatum, esse ut dogma fidei Catholicae asserendum, non unicam animam intellectivam esse in cunctis hominibus, sed pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicari. Vide definitionem Lateranensem ante recitatum